

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod peccatum primi hominis, & peccatum dæmonis non fuit neque in Patrem, neque in Filium, neque in Spiritum Sanctum: hæ enim non sunt differentie peccati absolute accepti, sed peccati quod contingit in natura corrupta. Infirmas enim, & ignorantia, & malitia, ex peccato naturam corruptam consequuntur. Sed sciendum, quod quamvis infirmitas nullo modo in natura integra inveniri possit, & ita nec peccatum in Patrem; tamen ignorantia aliquo modo in natura integra inveniri potuit, non secundum quod ignorantia dicitur privative, sed secundum quod dicitur negative: sic enim est defectus consequens intellectum creatum, in quantum creatus est: ex hoc enim deficit à perfecto lumine intellectus increati, ut non omnia sciat, vel saltem non omnia actu consideret; & ex tali nescientia peccatum proveniens, peccatum in Filium dici potest. Et similiter etiam malitia ex qua peccatum in Spiritum Sanctum procedit, non oportet quod sit poena, sed est aliquis actus peccati, ut supra dictum est: unde & in natura integra potuit esse peccatum in Filium, & in Spiritum Sanctum. Sciendum tamen, quod primus actus peccati primi hominis, & Angeli non fuit in Spiritum Sanctum, prout peccatum in Spiritum Sanctum est speciale peccatum: quod patet ex ipso objecto peccati: uterque enim peccavit, altitudinem propriam appetendo. Et ideo quantum ad genus peccati fuit peccatum superbia; sed quantum ad circumstantiam peccati utrumque fuit peccatum in Filium: quia uterque peccavit ex hoc quod non consideravit ea quæ consideranda erant ad evitacionem peccati; non autem fuit peccatum primum eorum ex hoc quod propria voluntate repugnarent spei, vel alicui hujusmodi, sicut fit in peccato in Spiritum Sanctum.

Ad primum ergo patet responsio per ea quæ dicta sunt.

Ad secundum dicendum, quod quamvis Adam peccans cogitaret de Dei misericordia, non tamen peccavit peccato presumptionis, quia non cogitavit se misericordiam consequi sine poenitentia; sed simul de misericordia, & de poenitentia cogitavit, ut Augustinus ibidem dicit.

Alia duo concedimus; quamvis primum eorum non recte concludatur, ut post dicitur.

Ad quintum dicendum, quod peccatum angeli non habuit irremissibilitatem ex genere peccati, sed magis ex statu peccantis, ut supra dictum est: & ideo ratio non procedit.

Ad sextum dicendum, quod ad primum actum peccati in angelo, qui fuit actus superbiae, consecuta sunt multæ aliæ deformitates peccatorum, ut invidia, odium, & hujusmodi; & inter illa potuit esse peccatum in Spiritum Sanctum.

DISTINCTIO XLIV.

De potentia peccandi, an sit homini, vel diabolo à Deo.

Post prædicta, consideratione dignum occurrit, utrum peccandi potentia sit nobis à Deo, vel à nobis. Putant quidam, potentiam recte agendi nobis esse à Deo; potentiam vero peccandi non à Deo.

(1) Vide art. 1. in argumento, Sed contr.

Ad septimum dicendum, quod peccatum in Patrem non dicitur ex objecto, sed potius ex causa: & ideo quamvis potentiam appetierit, non sequitur quod in Patrem peccaverit, quia non ex infirmitate peccavit. Unde & ratio illi similis, per quam ostendebatur quod homo primus in Filium peccaverit, non concludebat.

Ad octavum dicendum, quod malitia, ex qua peccatum in Spiritum Sanctum esse dicitur, non oportet ut sit poena peccati, ut dictum est: & ideo ratio non procedit, quamvis conclusio sit vera.

EXPOSITIO TEXTUS.

Neque hic, neque in futuro. Hoc ideo dicitur, quia quædam peccata in futuro etiam dimittuntur, sicut venialia quædam, ut Gregorius dicit Dial. IV. cap. xxxix. non solum quantum ad poenam, sed etiam quantum ad culpam.

Non pro eo dico ut quis oret. Si peccatum ad mortem intelligatur peccatum in Spiritum Sanctum, prout peccatum in Spiritum Sanctum requirit finalem impenitentiam, secundum unam opinionem; sic intelligendum est, ut nullus pro talibus oret: quia qui usque ad mortem in peccato mortali perdurat, postmodum orationibus non juvatur. Si autem sumatur pro peccato in Spiritum Sanctum, secundum aliam opinionem, prout non requirit finalem impenitentiam; sic intelligendum est, ut non oret pro eo quis, id est quicumque: quia talium conversio miraculosa est. Unde sicut pro faciendis miraculis non quilibet orat, sed magni, & Sancti viri; ita nec pro talium conversione. Tamen secundum formam verborum non prohibetur oratio pro eo fieri; sed ostenditur quod præceptum de orando pro proximis fidelibus non se extendit ad tales peccatores: quia propter sui peccati enormitatem hoc merentur ut à fidelibus relinquuntur, sicut Ethnici, & Publicani.

Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque hic, neque in futuro (1) Glossa ibidem dicit, scilicet Math. xxi. quod blasphemia remittitur, spiritus autem blasphemie non remittitur. Blasphemia enim nominat ipsum peccati genus absolute: quod contingit quandoque ex infirmitate, sicut cum quis ex iræ passione blasphemat; quandoque etiam ex ignorantia, sicut in his qui errant, male de Deo sentientes. Sed spiritus blasphemie est voluntas blasphemandi, quando scilicet ex certa malitia blasphematur: & tunc est peccatum in Spiritum Sanctum.

Discuti oportet, an aliud obstinatio, aliud impenitentia sit peccatum. Hujus questionis apparet solutio secundum distinctionem impenitentia prius positam. Si enim impenitentia sumatur pro actuali duratione in obstinatione usque ad mortem, non est aliud peccatum ab obstinatione, sed circumstantia ejus; si autem impenitentia sumatur, prout dicit propositum non poenitendi, sic est aliud peccatum.

Deo, sed à nobis, vel à diabolo esse; sicut mala voluntas non à Deo nobis est, sed à nobis, & à diabolo; bona autem nobis à Deo tantum est. Bona autem voluntatis, & cognitionis initium, non homini ex seipso nasci, sed divinitus parari, & tribui, in eo Deus evidenter ostendit, quia nec diabolus, nec aliquis angelorum ejus, ex quo in hanc caliginem sunt detrusi, bonam potuit, vel poterit resumere voluntatem: quia si possibile foret ut humana natura postquam à Deo aversa, bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset; multo possibilis hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hæc esset prædita facultate. Non igitur homo, vel angelus, à se bonam voluntatem habere potest, sed malam. Similiter & de potentia, inquitur, per similitudinem voluntatis de potentia boni, vel mali disserentes, quod illa sit à Deo, non ista.

Auctoritatibus astruit, potentiam peccandi esse à Deo.

SED pluribus Sanctorum testimoniis indubitanter monstratur, quod potestas mali à Deo est, à quo est omnis potestas: ait enim Apostolus ad Rom. xiii. 1. Non est potestas, nisi à Deo: quod non de potestate boni tantum, sed & mali intelligi oportet; cum Pilato etiam Veritas dicat Joan. xix. 11. Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper. Malitia nempe hominum, ut ait Augustinus (a), cupiditatem nocendi per se habet; potestatem autem, si ille non dat, non habet. Ideoque diabolus, ante quam aliquid tolleret Job, dicebat Domino Job. 11. 5. Mitte manum tuam; id est, per potestatem: quia etiam nocentium potestas non est nisi à Deo, sicut Sapientia ait Proverb. vii. 15. Per me regnant Reges; (1) & tyranni per me tenent terram. Unde ait Job de Domino cap. xxxiv. 30. Qui facit regnare hypocritam propter (2) peccata populi: & de populo Israel dicit Deus Osee xiii. 11. (3) Dedi eis Regem in ira mea. Nocendi enim voluntas potest esse ab hominis animo; potestas autem non nisi à Deo: & hoc addita, apraque justitia. Nam per potestatem diabolo datam justos Deus facit suos. De hoc etiam Gregorius in Moralibus, Lib. XXVI. cap. xix. ait: Tumoris elatio, non potestatis ordo in crimine est. Potentiam Deus tribuit, elationem vero potentia nostra mentis invenit. Tollamus ergo quod de nostro est: quia non potentia justa, sed actio prava damnatur. His auctoritatibus, aliisque plurimis evidenter ostenditur quod non est potestas boni, vel mali cuicumque (4), nisi à Deo æquo, etsi te lateat aequitas.

An aliquando resistendum sit potestati.

HIC oritur quæstio non transilienda silentio. Dicitur enim supra, quod potestas peccandi, nocendique non est homini, vel diabolo, nisi à Deo. Apostolus autem dicit, Rom. xiii. 2. quod qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Cum ergo diabolo sit potestas mali, Dei ordinatione, ejus potestati non esse resistendum videtur. Sed sciendum est, Apostolum ibi loqui de sæculari potestate, scilicet Rege, & Principe, & hujusmodi; quibus non est resistendum in iis quæ jubet eis Deus exhiberi, scilicet in tributis, & hujusmodi. Si vero Princeps aliquis vel diabolus jusserit aliquid, vel suaserit contra Deum; tunc resistendum est. Unde Augustinus determinans quando resistendum sit potestati (a) in Lib. de natura boni ait: Si illud jubeat potestas quod non debes facere, hic sane contemne potestatem, timendo potestatem majorem. Ipsos humanarum rerum gradus adverte. Si quid jusserit procurator, numquid faciendum est, si contra proconsulem jubeat? Rursus si quid ipse proconsul jubeat, & aliud jubeat Imperator; numquid dubitatur, illo contempto, illi esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus jubeat; contempto illo, obtemperandum est Deo. Potestati ergo hominis, vel diaboli tunc resistamus, cum aliquid contra Deum suggererit; in quo Dei ordinationi non resistimus, sed obtemperamus. Sic enim præcepit Deus, ut in malis nulli potestati obediamus.

Jam nunc his intelligendis, atque pertractandis quæ ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus, (5) ut de ineffabilibus vel modicum aliquid fari, Deo revelante, valeamus.

DIVISIO TEXTUS.

Determinato de peccato quantum ad actum peccandi, hic determinat de potentia peccandi: & dividitur in partes duas. In prima determinat de potentia peccandi; in secunda continuat se ad sequentem Librum, ibi: Jam nunc his intelligendis, atque pertractandis quæ ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus. Prima dividitur in duas. In prima inquitur, utrum potentia peccandi sit à Deo, in secunda determinat de obedientia quæ debetur eis qui potentiam prælationis à Deo habent, ibi: Hic oritur quæstio non transilienda silentio. Circa primum tria facit. Primo movet questionem; secundo narrat opinionem quorundam, ibi:

Putant quidam potentiam recte agendi nobis esse à Deo: potentiam vero peccandi non à Deo, sed à nobis, vel à diabolo esse; tertio determinat veritatem, ibi: Sed pluribus Sanctorum testimoniis indubitanter monstratur quod potestas mali à Deo est.

Hic oritur quæstio non transilienda silentio. Hic inquitur de obedientia debita his qui à Deo potestatem habent; & primo movet questionem; secundo solvit, ibi: Sed sciendum est, Apostolum ibi loqui de sæculari potestate.

Jam nunc his intelligendis, atque pertractandis quæ ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus. Hic continuat se ad sequentia; & primo ponit continuationem; & secundo assignat ordinem, ibi: Hic est rationis ordo &c. (6)

QUES.

(1) Vulgata: & legum conditores justa decernunt. (2) Al. perversitatem. (3) Vulgata: Dabo tibi Regem in furore meo. (4) Al. deest nisi. (5) Al. ut ineffabiliter vel modicum aliquid fari Deo revelante, intendamus. (6) In editione Nicolai. Nempe ut qui in primo Libro de inexplicabili mysterio Summe Trinitatis irrefragabiliter.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nempe in Psalm. xxxi. ad verba vers. 8. Timeat Dominum omnis terra, verbis paulullum immutatis. (b) De verb. Domini serm. vii. non sicut prius de natura boni, indice depravato.

QUÆSTIO I.

HIC est duplex quæstio. Prima de potentia peccandi. Secunda de obedientia.

Circa primum quaruntur tria.

Primo. Utrum potentia peccandi sit bona, & à Deo.

Secundo. Cum secundum praelationis officium, adsit potestas multa peccata perpetrandi, quæ nisi quis in statu praelationis esset, facere non posset; utrum etiam omnis praelatio à Deo sit.

Tertio. Utrum praelatio, sive dominium, sit à Deo in ordinationem naturæ instituta, vel in punitionem naturæ corruptæ.

ARTICULUS I.

Utrum potentia peccandi sit à Deo.

T. dist. XLII. q. 11. a. 1. & III. dist. XLII. q. 11. a. 2. ad 6. & Rom. XLIII. lect. 1.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod potentia peccandi non sit à Deo. Posse enim peccare, ut Anselmus (a) dicit, neque est libertas, neque pars libertatis. Sed omnis potentia naturalis quæ est in nobis ad agendum actus humanos, ad liberum arbitrium pertinet. Ergo potentia peccandi non est in nobis aliqua potentia naturalis. Constat etiam quod non est gratiæ potentia: quia per gratiam nullus ordinatur ad peccatum. Cum ergo omnis potentia quæ est in nobis à Deo, sit gratiæ, vel naturæ, videtur quod potentia peccandi non sit in nobis à Deo.

2. Præterea. Deut. XXXII. 4. *Dei perfecta sunt opera.* Ergo quanto aliquid magis est perfectum, magis debet computari inter divina opera. Sed actus est perfectior quam potentia. Cum igitur actus peccati non sit à Deo, nec potentia peccandi à Deo erit.

3. Præterea. Ad opus humanum concurrunt potentia, scientia, & voluntas. Sed voluntas peccandi non est à Deo. Ergo eadem ratione nec potentia peccandi ab ipso est.

4. Præterea. A causa per se producitur effectus secundum similitudinem suæ causæ: unde à Deo, qui est per se causa omnium, omnia producuntur retinentia similitudinem ejus, quantum possunt: quia à primo ente sunt entia, & à primo vivente viventia. Sed in potentia peccandi non assimilatur creatura Deo. Ergo potentia peccandi non est in nobis à Deo.

5. Præterea. Cujus usus malus est, ut Boetius dicit, de diff. topic. Lib. II. ipsum malum est. Sed potentia peccandi usus est ipsum peccatum, quod malum est. Ergo & potentia peccandi mala est. Sed nullum malum est à Deo. Ergo potentia peccandi non est à Deo.

Sed contra. Philosophus dicit, IX. Metaph. text.

Ad gabili Sanctorum attestacione aliquid diximus; ac deinde in secundo Libro conditionis rerum ordinem hominisque lapsus, sub certis auctoritatibus, & regulis insinuavimus: de reparatione per gratiam Mediatoris Dei & hominum præstita, atque humana redemptionis Sacramentis quibus contritiones hominis alligantur, ac vulnera peccatorum curantur, consequenter in tertio, & quarto Libro disseramus: ut Samaritanus ad vulneratum, medicus ad infirmum, gratia ad miserum accedat. Ad marginem vero. Hanc appendicem quam ex veteri Magistri textu manuscriptorum reponendum, nulla exemplaria modo habent: unde nec succurrerat reponere ad finem textus quam vel hic saltem reponendam. Expositio ipsa S. Thomæ postliminio admonuit.

Ex BERT. P. Nicol. (a) Colligitur ex dialogo de lib. arb. c. 1. (b) Velut ex Lib. de duab. anim. absque indice speciali prius indicabatur ad marginem: sed ibi tantum explicite habetur non nisi voluntate peccari, ut c. x. videre est; in Lib. autem LXXXIII. Q. q. xxv. nec peccatum nec recte factum imputari cuiquam juste potest qui propria voluntate nihil fecerit. Est igitur & peccatum, & recte factum in libero voluntatis arbitrio.

111. & x. quod potentia rationales sunt ad opposita. Ergo eadem est potentia peccandi, & potentia bene operandi. Sed potentia bene operandi est à Deo. Ergo & potentia peccandi.

Præterea. Omne ens à Deo est. Sed potentia peccandi est quoddam ens. Ergo & potentia peccandi à Deo est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod potentia cognoscitur per actum: unde ex consideratione actus peccati, iudicium sumendum est de potentia peccandi. In actu autem peccati sunt duo, scilicet substantia actus, & deformitas, vel defectus debeatibus circumstantiis: unde oportet quod etiam in ipsa potentia peccandi duo attendantur: scilicet ipsa potentia, quæ est principium actus; & hæc est eadem quæ est principium actus ordinati, & inordinati, & hæc à Deo est: consideratur etiam in ea defectus quidam, secundum quem actum deficientem producere possit. Potentia enim perfectissima nunquam deficient ab eo ad quod ordinata sunt, ut patet in necessariis. Unde quod potentia impediatur, vel retrahatur ab eo ad quod naturaliter ordinata est, oportet quod sit ex defectu ejus, in quantum scilicet alteri agenti, quod impedit, succumbit. Unde cum potentia voluntatis humanæ sit per se ordinata ad bonum, defectus à bono in actu ejus oportet quod causetur ex aliquo defectu in ipsa, per quem ab aliquo vinci potest, vel delectatione, vel suggestione, vel quocumque alio, ut ab eo quod est naturale sibi, ad id quod est innaturale, trahatur. Hic autem defectus est secundum quod ex nihilo est. Hujusmodi autem defectus, scilicet quod creatura ex nihilo sit, Deus directe causa non est, ut Avicenna probat: quia quod convenit rei secundum se, non causatur in eo ex alio. Res autem creata si sibi relinquatur, nihil est: unde hoc quod est ex nihilo esse, non est creatura à Deo, quamvis esse creatura à Deo sit. Posset tamen dici, quod iste defectus indirecte à Deo est, non quidem sicut ab agente aliquid, sed sicut à non agente, in quantum scilicet ipse creator hoc non præbet ut non ex nihilo sit, sicut dicitur causa privationis gratiæ, quæ pena est; nisi creatura hujusmodi perfectionis inveniretur capax non esse, ut scilicet non ex nihilo sit: & ideo hic defectus nullo modo à Deo est, nec directe, nec indirecte. Sic ergo potentia peccandi, quantum ad id quod potentia est, à Deo est; sed quantum ad defectum qui implicatur, non est à Deo.

Ad primum ergo dicendum quod posse peccare dicitur non esse pars libertatis, quia non requiritur ad libertatem voluntatis ut in peccatum possit; sed sufficit ad rationem libertatis ut in utrumque contradiutoriorum possit; quamvis in his qui peccare possunt, per liberum voluntatis arbitrium peccetur: quia voluntas est, qua peccatur, & recte vivitur, ut Augustinus dicit, (b) Lib. de duabus animabus.

Ad quartum dicendum, quod aliquid propter abusum privat se beneficio accepto: unde etsi aliqui praelationem à Deo consecuti sint, tamen propter hoc quod ea abutuntur, dignum est ut eis praelationis potestas auferatur: & utrumque à Deo est, scilicet & quod praelationem habuerunt, & quod eam juste amittunt; sicut omnes vitam à Deo habent, tamen aliqui juste vita privantur.

Ad quintum dicendum, quod non est omnino inordinatum quod indigni ad praelationes assumuntur: sed contra. Magis videtur quod praelatio bonorum non est à Deo. In II. Sent. Tom. II.

QUÆSTIO II.

Ad secundum dicendum, quod semper actus perfectior est potentia, perfectione proprii generis: unde actus bonus perfectior est in bonitate quam potentia bona; & similiter actus malus perfectior est in malitia quam potentia mala: quia in actu malo est malitia simpliciter, sed in potentia ad malum est malum secundum quid: & ideo actus malus simpliciter non dicitur à Deo esse, sed secundum quid; potentia autem ad malum dicitur simpliciter à Deo esse, & secundum quid à Deo non esse: perfectio enim in malitia non est perfectio proprie & simpliciter dicta, sed quasi transumptive, sicut dicimus perfectum latronem, & perfectionem cæcitatatis, ut in V. Metaph. text. XXI. dicitur.

Ad tertium dicendum, quod voluntas potest dupliciter sumi: vel pro ipsa potentia voluntatis, vel pro actu ejus: & primo modo voluntas qua peccatur, à Deo est; secundo autem modo à Deo non est. Potentia autem nunquam nominat actum; sed usus potentia est ipse actus: & ideo objectio ex æquivocatione voluntatis procedit.

Ad quartum dicendum, quod est quoddam bonum perfectum, & quoddam imperfectum. Si ergo aliquod nomen bonitatem in nobis, quæ à Deo est, secundum quam sumus ei similes, sine imperfectione nominet, inveniretur Deo, & nobis convenire, ut sapientia, bonitas, & hujusmodi. Sed potentia peccandi nominat bonum cum imperfectione: & ideo Deo, in quo nulla imperfectio est, convenire non potest.

Ad quintum dicendum, quod usus rei dicitur ad quem res principaliter ordinatur. Potentia autem qua in peccatum possumus, non ordinatur ad malum, sed ad bonum; & ita peccare non est usus ejus: unde non sequitur quod si peccatum est malum, potentia sit mala; sed magis quod sit bona: quia deficere ab eo quod bonum est, malum est.

ARTICULUS II.

Utrum omnis praelatio sit à Deo.

I. P. q. xcvi. art. 3. ad 3.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod non omnis praelatio à Deo sit. Primo per id quod dicitur Osee vi. 4. *Ipsi regnaverunt, sed non ex me.*

2. Præterea. Illud quod perverse fit, à Deo non est. Sed quædam praelationes perverse acquiruntur, ut patet in simoniacis, & in aliquibus hujusmodi. Ergo non omnis praelatio à Deo est.

3. Præterea. Praelatio concessa à summo Rege non potest dici usurpata. Sed Boetius dicit in III. de Consolatione Philosophiæ, in prosa IV. quod mali habent potestatem usurpatam. Ergo eorum praelatio non est à Deo.

4. Præterea. Quod Deus dedit, homo non debet auferre; sicut quod Deus conjunxit, homo non sepatet. Math. XIX. 6. Sed quibusdam juste auferitur praelationis potestas. Ergo eorum praelationes non sunt à Deo.

5. Præterea. Omne quod à Deo est, ordinatum est, Rom. XII. 1. Sed in quibusdam praelationibus videtur magna inordinatio esse, ut quod stultus sapienti, puer seni, peccator justo, proponatur; ut plerumque contingit. Ergo non omnis praelatio est à Deo.

Sed contra. Magis videtur quod praelatio bonorum non est à Deo. In II. Sent. Tom. II.

(1) *Al. dicendum.*

sit à Deo quam malorum. Sed praelationes malorum à Deo sunt. Job xxxiv. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Ergo & omnes praelationes sunt à Deo.

Præterea. Omne quod est ordinatum, est à Deo, quia ex hoc ipso bonum est. Sed in omni praelatione invenitur ordo quidam superioris ad inferiorem. Ergo omnis praelatio à Deo est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum Deus dicatur esse auctor omnium bonorum, & non sit auctor mali; oportet, si in praelationibus aliquid boni, & aliquid mali inveniat, quod praelatio illi à Deo sit quantum ad id boni quod est in ea, quantum vero ad id mali quod sibi adjungitur, à Deo non sit. Est autem in praelatione considerare tria, scilicet praelationis principium, modum, & usum. In quibusdam igitur quodlibet horum bonum est, qui scilicet debite ad praelationem perveniunt, & debite praelationis actum exercent. In quibusdam vero principium est malum, sed usus bonus; sicut qui non digne ad praelationem perveniunt, vel propter eorum insufficientiam, vel propter modum perveniendi ad ipsam; & tamen actum praelationis quam indebitè consecuti sunt, debito modo exercent. In quibusdam vero est è converso. In quibusdam autem utrumque est malum. Modus autem, seu forma, praelationis in omnibus bonus est: consistit enim in quodam ordine alterius tamquam regentis, & alterius tamquam sub-jacentis. Et quia iudicium de re simpliciter (1) ducendum est ex consideratione ejus quod est formale in ipsa, ideo simpliciter dicendum est, omnem praelationem à Deo esse; sed secundum quid aliquas praelationes non esse à Deo: quia scilicet abusus earum non est à Deo, vel quia etiam injusta actio per quam ad praelationem pervenitur, à Deo non est.

A primum ergo dicendum, quod dicuntur non ex Deo regnare Judæorum Reges, in quantum, dissuadente Samuele, Regem sibi eligere voluerunt; sed tamen ipsa praelationis forma à Deo est instituta.

Ad secundum dicendum, quod non est inconveniens effectum esse à Deo, cujus causa secundum aliquid à Deo non est; sicut pena, vel passio aliqua à Deo est; cum tamen injusta actio, cujus effectus est, à Deo non sit; & hoc quomodo contingat, supra dictum est. Similiter etiam non est inconveniens ut praelatio quantum ad suam formam sit à Deo; quamvis injusta actio per quam ad praelationem pervenitur, à Deo non sit, nisi forte permissive.

Ad tertium dicendum, quod mali dicuntur habere potestatem usurpatam, in quantum ad eam indebitè perveniunt, quantum ex eis est; quia indigni sunt ut talibus præferantur; quamvis forte illi qui per eos affliguntur, digni sint ab eis affligi; & secundum hoc eorum praelatio à Deo est in penam subditorum, qui talem praelatum merentur.

Ad quartum dicendum, quod aliquid propter abusum privat se beneficio accepto: unde etsi aliqui praelationem à Deo consecuti sint, tamen propter hoc quod ea abutuntur, dignum est ut eis praelationis potestas auferatur; & utrumque à Deo est, scilicet & quod praelationem habuerunt, & quod eam juste amittunt; sicut omnes vitam à Deo habent, tamen aliqui juste vita privantur.

Ad quintum dicendum, quod non est omnino inordinatum quod indigni ad praelationes assumuntur: sed contra. Magis videtur quod praelatio bonorum non est à Deo. In II. Sent. Tom. II.

(1) *Al. dicendum.*

ordinatur enim in penam subditorum, qui hoc merentur, ut significatur Job xxxiv. 30. *Qui facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi: & Osee xiii. 11 Dabo (1) eis Regem in furore.* Unde cum poena omnis à Deo sit, etiam tales praelationes à Deo sunt.

ARTICULUS III.

Utrum in statu innocentia fuisset dominium.

I. P. q. xcvi. art. 1. & 2. & opusc. xx. cap. 29.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod in statu naturae integræ praelatio, seu dominium non fuisset. Dicit enim Gregorius, Lib. XXI. Moral. cap. x. *Natura omnes homines aequales fecit; sed pro meritis alios aliis occulta, sed iusta Dei dispensatio subiecit.* Sed si homines non peccassent, statum naturae retinuisent. Ergo omnes fuissent aequales, & nulla in eis fuisset praelatio.

2. Præterea. Augustinus dicit in XIX. de Civit. Dei, cap. xv. hominem ad imaginem Dei factum solum irrationabilibus esse præpositum. Sed homo non æquiparatur irrationabilibus nisi propter peccatum, ut dicitur in Psalm. xlviii. 13. *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ergo si peccatum non fuisset, unus homo alii suppositus non fuisset.

3. Præterea. Dominium sine servitute esse non potest. Sed Augustinus, & alii Sancti communiter dicunt, quod servitus pro peccato est introducta. Ergo & dominium, seu praelatio, ante peccatum non fuisset.

4. Præterea. Apostolus dicit I. Timoth. i. 9. *Iusto non est lex posita.* Sed Philosophus dicit in fine Eth. quod hæc fuit necessitas constituendi Reges, & alios Principes, ad leges condendas habentes vim coactivam ad virtutis actus, quam sermo persuasivus sapientum non habet. Ergo si omnes iustitiam in qua conditi sunt, servassent, praelatio non fuisset.

5. Præterea. Ea quæ consequuntur naturam integram, etiam remanent in patria. Sed in futuro omnis cessabit praelatio, ut dicitur in Glossa I. Corinth. xv. Ergo & in natura integræ praelatio non fuisset.

Sed contra. Illud quod est dignitatis, in natura integræ multo nobilitius fuisset. Sed dominium, & praelatio ad dignitatem pertinent. Ergo multo amplius in statu naturae integræ fuissent.

Præterea. Status naturae integræ non fuit altior quam est modo status Angelorum. Sed in Angelis est unus ordo qui Dominationum vocatur, & etiam alii ad praelationem pertinentes, ut Principatus, Potestates, & Archangeli. Ergo & in statu naturae humanæ ante peccatum fuisset praelatio.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod duplex est (2) praelationis modus: unus quidem ad regimen ordinatus; alius autem ad dominandum. Domini autem ad servum, ut in VIII. Ethic. cap. x. Philosophus dicit, est praelatio, sicut tyranni ad subditum. Differt autem tyrannus à Rege, ut ibidem Philosophus dicit:

(1) *Al. vulgata tibi.* (2) *Al. rationis.* (3) *Al. natura integræ.* (4) *Al. agenda sunt ad supplendum.* (5) *Forte autem.*

Ex Edit. P. Nicol. (a) Eodem Lib. sed non eodem c. sed c. xi. Græco-lat. vel xi. in antiq. & apud S. Thomam lect. xi. ut & Politic. Lib. I. cap. 1v.

quia Rex ordinat praelationem suam ad bonum gentis cui præest, propter ejus utilitatem statuta, & legem faciens; tyrannus autem praelationem suam ordinat ad utilitatem propriam: & ideo duplex modus praelationis supradictus in hoc differt, quia in primo intenditur bonum subditorum, in secundo proprium bonum præsentis: & ideo secundus modus praelationis (3) in natura integræ esse non potuisset, nisi respectu eorum quæ ad hominem tamquam ad aliam, ut homo ad hominem; sed si hoc fiat, non erit nisi in quantum homo propter peccatum irrationabilibus creaturis comparatur: unde etiam Philosophus ibidem (a) servum comparat organo, dicens, quod servus est organum animatum, & organum est servus inanimatus. Et ideo talis praelatio hominis ad hominem ante peccatum non fuisset; sed prima praelatio, quæ ordinatur ad utilitatem subditorum, fuisset ibi quantum ad aliquem usum, non quantum ad omnes. Est enim praelatio ad dirigendum subditos in his quæ (4) agenda sunt, & ad supplendum defectus, ut quod populi a Regibus defendantur; & iterum ad corrigendum mores, dum mali puniuntur, & coactæ ad actus virtutis inducantur. Sed quia ante peccatum nil fuisset quod homini nocere posset, nec etiam voluntas alicujus bono contradiceret; ideo quantum ad duos ultimos usus praelatio in statu innocentia non fuisset; sed quantum ad primum usum solum, qui scilicet est dirigere in agendis, vel in sciendis, secundum quod unus alio majore munere sapientia, & majore lumine intellectus præditus fuisset.

Ad primum ergo dicendum, quod natura omnes homines aequales in libertate fecit, non autem in perfectionibus naturalibus: liberum enim, secundum Philosophum in I. Metaphys. cap. i. est quod sui causa est. Unus (5) enim homo ex natura sua non ordinatur ad alterum sicut ad finem: & ideo secundus modus praelationis non fuisset, qui libertatem subditis tollit; sed primus modus esse posset, qui nullum præjudicium libertati affert, dum subditi ad bonum præpositi non ordinantur; sed è converso regimen præpositi ad bonum subditorum: unde non incongrue se eorum servos appellant.

Ad secundum dicendum, quod auctoritas illa loquitur quantum ad secundum modum praelationis.

Et similiter ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod quantum ad illum usum praelatio non fuisset, sed quantum ad alios, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod supra xi. dist. dictum est, quomodo intelligendum sit omnem praelationem in futuro evacuati. Si tamen simpliciter intelligeretur in futuro tolli, non oportet quod in statu innocentia praelatio non fuisset: quia status ille adhuc erat status viæ, & in via est necessaria praelatio per quam unus ab alio dirigatur: quod non adeo necessarium conceditur in termino viæ.

QUESTIO II.

Deinde quaeritur de obedientia ad prælatos: & circa hoc tria quaeruntur.

Præterea. Status naturae integræ. (3) *Al. natura integræ.* (4) *Al. agenda sunt ad supplendum.* (5) *Forte autem.*

Ex Edit. P. Nicol. (a) Eodem Lib. sed non eodem c. sed c. xi. Græco-lat. vel xi. in antiq. & apud S. Thomam lect. xi. ut & Politic. Lib. I. cap. 1v.

Primo. Utrum obedientia sit virtus: & si est virtus, utrum sit virtus specialis.

Secundo. Utrum Christiani potestatibus sæcularibus, & præcipue tyrannis, obedire teneantur.

Tertio. Utrum profitentes obedientiam, in omnibus prælatibus suis teneantur obedire.

ARTICULUS I.

Utrum obedientia sit virtus.

2. 2. q. civ. art. 11.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod obedientia non sit virtus. Omnis enim virtus est medium vitiorum, ut Philosophus dicit in II. Eth. cap. vi. Sed obedientia non est hujusmodi: quia per abundantiam non corrumpitur, sed perficitur, si aliquis obediat in illis in quibus non tenetur. Ergo obedientia non est virtus.

2. Præterea. Obedientia respicit præceptum. Sed præceptum se extendit ad omnes actus virtutum, quia omnes sunt in præcepto legis. Ergo obedientia non est virtus determinata, sed consequens omnem virtutem: quod etiam potest videri ex diffinitione Ambrosii, de parad. cap. viii. supra xxxv. dist. inducta: dicit enim, quod peccatum est *transgressio legis Dei, & cælestium inobedientia mandatorum.*

3. Præterea. Si est virtus determinata, aut est una de cardinalibus, aut una de adjunctis. Sed nulla de cardinalibus est, quia illæ sunt tantum quatuor, inter quas non numeratur obedientia: similiter inter adjunctas non invenitur, ut patet, si considerentur virtutes adjunctæ, quas Philosophus IV. Eth. per totum, enumerat. Ergo obedientia non est virtus determinata.

4. Si dicatur, quod reducitur ad justitiam; contra. Nulla virtus perficitur per diminutionem rationis objecti proprii: ut patet in magnanimitate, quæ magnum respicit; & quanto majus fuerit quod operandum est, magis ad magnanimitatem pertinet. Sed justitia debitum respicit quasi objectum, quia justitiae actus est reddere alteri quod suum est. Cum igitur obedientia perficiatur per hoc quod debitum minuitur, quod quanto aliquis minus considerat, ut Bernardus dicit (serm. 11. de S. Andrea) perfectior est obedientia; videtur quod obedientia ad justitiam non reducatur.

5. Præterea. Justitia legalis dicitur secundum quam præceptis homo aequatur. Sed obedientia præcepta respicit. Ergo obedientia est idem quod justitia legalis. Sed justitia legalis, ut dicit Philosophus V. Ethicor. (cap. 1. circa fin.) est omnis virtus. Ergo obedientia non est aliqua virtus determinata, sed generalis.

6. Præterea. Gregorius dicit (Moral. Lib. XXV. cap. x. vel xii.) quod obedientia non tam est virtus quam mater omnium virtutum. Sed esse matrem virtutum convenit charitati. Ergo obedientia videtur esse idem quod charitas; & ita non videtur distincta ab aliis virtutibus.

Sed contra. Hugo de Sancto Victore dicit (implicitè serm. lvi.) *Obedientia est virtus quæ omnia amplectitur injuncta, necessario implenda, nisi (1) obstitit imperantis auctoritas:* & ita est specialis virtus, cum assignetur sibi actus specialis.

Præterea. Quod assignatur maximum in aliquo In II. Sent. Tom. II. (c) Nicolai insisterit.

genere, est aliquid determinatum in genere illo. Sed Gregorius dicit, quod obedientia est maxima virtutum. Ergo obedientia est quædam virtus determinata.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod obedientia est virtus, & est specialis virtus. Cum enim habitus, potentia, & actus distinguantur per objecta, oportet quod virtus quæ habet speciale objectum, sit specialis virtus. Dicitur autem speciale objectum à speciali ratione; quamvis illa specialis ratio circa multas res, vel omnes poni possit. Contingit enim eandem rem ad diversas potentias pertinere, sicut colorem ad visum, imaginationem, & intellectum; sed sub diversa ratione: unde contingit ut una virtus specialis se extendat ad actus omnium virtutum, secundum quamdam specialem rationem, sicut dicit Philosophus (IV. Ethic. cap. viii.) de magnanimitate, quod operatur magnum in actibus omnium virtutum, unde & cæterarum virtutum ornatus quidam est: & tales virtutes dicuntur quodammodo generales, quia habent materiam generalem, quamvis objectum speciale habeant, propter specialem rationem objecti, quæ in multis materiis invenitur. Et per hunc modum dico, quod obedientia est specialis virtus, quia attendit specialem rationem, scilicet præceptum cum debito consensu. Et quia reddere alteri quod suum est, & sibi debetur, est justitiæ; ideo obedientia pars quædam justitiæ est & specialiter divinæ: quia hoc suum quod superioribus redditur, scilicet impletio mandatorum, est quædam pars hujusmodi communis quod debetur dicitur, vel quod suum est, & quod etiam exigi posset coram judice; nam circa hujusmodi est proprietas specialis justitiæ. Sed tamen sciendum, quod justitia specialis dupliciter sumitur: sumitur enim proprie, & communiter. Propriissime sumpta specialis justitia, ut dicit Philosophus in V. Ethic. (cap. vi.) est tantum inter eos qui habent æqualitatem quamdam ad hoc quod estent coram Principe, coram quo unus ab altero possit repetere quod suum est, secundum quem modum nec domini ad servum, nec patris ad filium justitia dicitur esse: quia ea quæ sunt servi, sunt domini, & ea quæ sunt filii, sunt patris. Communiter autem justitia specialis attenditur etiam in hoc quod dominus reddit servo quod suum est, vel è converso, & sic de aliis, quia secundum hunc modum prædicta æqualitas non requiritur, & hoc modo accipiendo justitiam specialem, obedientia ad justitiam pertinet, quia per obedientiam inferior superiori reddit quod debet.

Ad primum ergo dicendum, quod obedientia, sicut & alia virtutes, potest esse medium duorum vitiorum. Sciendum tamen, quod non in omnibus virtutibus potest accidi superabundantia secundum quamlibet circumstantiam, aliis circumstantiis rite ordinatis, ut patet in hac virtute quæ dicitur veritas, cujus medium attenditur secundum hoc quod homo talem se esse ostendit qualis est; superabundantia autem ejus non attenditur secundum superabundantiam hujus circumstantiæ quantum, aliis circumstantiis rite ordinatis, ut scilicet homo possit nimis hanc veritatem servare; sed superabundantia ejus est ex hoc quod aliquis de se majora ostendit quam sunt, quod est secundum hanc circumstantiam quæ est *quid*. Similiter etiam dico, quod superabundantia obedientiæ accipitur secundum hoc quod obedi in aliis in quibus debet non obedire; non autem secundum hoc

Hhh 2

quod

(1) Nicolai insisterit.